



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

Ioannis Cvivsdam Visio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

quod Christum inter vtrūmque, dum vna cubarent, medium sedentem conspexerit. Decennio fere exacto, cum vterque virtutem alterius probasset satis, ad vota demum edenda Virginitatis accessere, quæ præsentibus tantum Garlendâ nobili & castissima matronâ, eiusque filio Iuordo equite & Alasia Dalphinæ sorore, conceptis verbis, virginitatis æternum seruandę ediderunt, nemine alio cōscio, quod & ipsi testes clam habuere, quoad ipse sub vitæ, quam sanctissimè clausit, si nemi, impulsu nu minis, arcanum aperuit, cum apud circumstantes diceret. Seruatus est homo malus per mulierem bonam, quam sicut virginem accepi, ita etiam virginem relinquo. Obijt hoc mundi miraculum, cœlitum gaudium A. C. M. CCCXXIIII. V. Cal. Octobr. vixit annos XXVIII.

IOANNIS CUIVSDAM VISIO.

Constantini Imperatoris æuo, fuit vir ^{23. Nouē.} arte quadam sua clarus, & ipsi Imperatori familiaris. Hic vitam egit parum sanctam, futuraque inferorum supplicia nunquam secum animo pertractabat. Cui Dominus, qui omnia ad salutem & commodum suorum sapienter administrat, speciem quandam visionis, quæ ad eius valeret emendationem obiecit. Secundum quietem nocturnam visus est sibi videre virum quempiam, qui artis suæ specimen exhiberet Imperatori

peratori, vti deinde familiares essent inter se, mutuâque consuetudine delectarentur. Postea Imperator illi videbatur gladium stringere, illiusque comam in nodum collectam prendere, quasi eam, viro interim collum inflectente, esset illico ferociter resecturus. Et quia vir tantum irridere videbatur Imperatorem; Imperator illo atrociter compellato: Vbi ferrum capillos tuos depascetur, tum & illi ceruicis tuæ sanguine tincti rorabunt; deinde ictu macheræ, vnâ fauces videbantur amputari, & iam ferro pectori imminente periclitatus ille, auxilium vnde vnde poterat, inclamauit. Ex illo porro horrore, trepidatione & terrore formidabilis illius periculi & certaminis expergefactus, vehementer fuit attonitus, cruceq; sese præmuniens, gratiam, inquit, tibi somne, hoc periculoso de agone menti meæ obiecto habeo. Et tamen, vt reor, hic vitam postea non emendauit. Aliquanto vero post, morbo tentatus, opem cœlestem implorauit.

Rursum ergo tunc iam non per somnium, sed verum mentis quendam excessum, videt se in sella quapiam secreta constitutum, vel potius ad iudicij tribunal adductum, cui rex sanè tremendus, & supra quam dici potest formidabilis, pontificali cultu, & regia
chlamyde

chlamyde indutus, præsidere videbatur.

Ad cuius utrinq; latus venerandos quosdam mystas residere cernebat, se autem ad gradus infra altare illud, seu tribunal stare putabat. Ad dextram quidẽ regis, formosos quosdam ephebos consistere existimabat, à sinistris verò alium quempiam inferiorem ac modestiorem, chaos autem poné tenebricosum despectabat, quod ingentem spectanti metum incutiebat. Ita ergo ante tribunal cum magnâ trepidatione sibi stare videbatur. Ad quem rex Iudicij præses: Age inquit, adolescens nosti qui sim? & ille: noui Domine, illum te qui nostrum corpus induisti, filium iuxta Dei, atque ipsum Deum, quemadmodum literæ nostræ docent. Rursum rex. Ergo cum ex literis, uti tute fateris, me noris, neque eos, qui mihi assident ignores: quo pacto minarum illarum, quas olim Imperator Constantinus tibi incussit, es oblitus? Numquid nescis, quid tibi dixerit? Haud nescio, inquit, Domine, quin & terroris adhuc reliquias in animo circumfero. Et rex: Si timoris adhuc aliquam partem circumfers, quomodo ergo in flagitiosa adhuc vita perseveras? Sed iam experimento disce, me illum priorem, nequaquam vero Constantinum fuisse, qui tibi horrificum illud supplicij periculũ ob-

iecit

iecit. Quod cum dixisset solo nutu circumstantibus visus est præcipere, vti Ioannem in barathrum, quod à tergo erat, deuoluerent. Hic Ioannes lamentabili voce Dei matris opem implorabat, quæ subito inter medios astare visa est, & mox subsequi vox: missum hunc facite propter matris preces. Hic finis huius fuit visionis, Sed ille horrore peresus, atque in se reuersus, id quod viderat, religioso cuidam viro exposuit, qui ad illum: Da, inquit, Deo gloriam, qui talibus te documentis erudire dignatus est, & expergiscere frater, ne tibi eueniat, quod nunc memorabo. Nam eodem quo tu modo, alteri cuidam talis obiecta species, qui virum quendam inter eos, qui sunt Imperatori à secretis, primarium, Georgium nomine, vidit vinctum magna vi abripi, vti mox in horrificum quoddam chaos præcipitaretur. Hic magna quidem libertate ductoribus illius resistere iussis petebat, vt in vigesimum vsque diem illi induciæ darentur, pro illo emendationem pollicitus. Ergo fide data per auxilium sponsoris dimissus est. Cum autem is, cui visum illud acciderat, ad se reuersus, facile quo res tenderet, coniectaret, Georgio illi de cuius salute agebatur, id quod viderat non cunctatus est referre. Erat enim illi non ignotus.

Qui

Qui cum hæc audisset, somnia ratus pro nihilo habuit, & mores non correxit. Diebus xx. elapsis, Georgius de medio sublatus debitum omnè, vt ille pollicitus erat, persoluit. Quæ cum vir ille à monacho ad rem testandam narrata audisset, menteque ea qua audisset, reuolueret, rebus suis apertè sine rubore in meliorem statum compositis, cœpit mores emendare, diuque cum virtute viuendo superstes, tandem defunctus ad æterna cœlitum domicilia migravit.

S. ACACIVS SEV INNOCENTIVS.

ERat hic in quodam Asiæ cœnobio, primamque ingressus adolescentiam, genus vitæ religiosum est complexus: commissus autem erat seni cuidam valde importuno & negligenti, à quo tam indigna tulit, vt multi supra fidem ea fortè sint existimaturi. Modo enim oculum atro cruore suffusum, modo ceruicem læsam, modo caput plagis contusum ostentabat. Exacto ergo, cum illo immani sene, nouennio, ad Dominum migravit, & in cœmeterio inter reliquos patres est humatus. Adijt huius moderator (tetricus ille senex) alium quen-

29. Nouẽ.

F

dam